

minus *Hesychius* eadem ratione explicat vocem hanc: *Αἷμα, γενεῶν, σπέρμα ταντας τοι γενεῶν καὶ αἷμα* εὐχομαι εἶναι. Qui usus neque in aliis linguis ignotus est, vt *Troiano a sanguine* duci apud *Virgilium*, & in vernacula *das Geblüt*. Siue igitur sanguis siue semen vertatur, eadem ratione intelligi potest, cum eadem locutio in plerisque linguis obtineat, vt ex sanguine alicuius esse, nihil aliud indicet, quam ex eius progenie ortum trahere. Quae enim *Cel. Georgius* monet in notis ad editionem suam N. T. 1736. si per semen vertatur, *Euam* exclusum iri ex iis hominibus, nihil faciunt, cum tantum de posteris *Adami* loquatur *Apostolus*, ad quos non potest referri *Eua*. Dum ex genere hominum excludi diceretur *Eua* eo, quod non ex femine *Adami* orta esset, ipse quoque *Adamus* ex illo excluderetur; nam nec *Adamus* nec *Eua* ex femine alterius sint concepti, sed prior ex terra productus, posterior ex eiusdem costa creata, consequenter haec locutio id indicat, quod omnes homines ex *Adamo* prognati sint, non exclusa *Eua*, quae etiam omnium hominum mater vocatur *Genes. 3, 20*.

§. XI.

Quaedam nunc monenda de epitheto εὐ, quod vel cum sanguine in eodem casu iungi potest, vt sit ex sanguine vno, vbi tunc idem est ac ex eodem; vel ad hominem pertinere potest, vt sit ex sanguine vnius scilicet hominis, quae tamen in explicatione secum plane conueniunt, & dum de *Adamo* explicamus, simili ratione vti in epist. ad *Ebr. 2, 11*. suppleri quoque potest πατερ. Per vnum igitur ex sententia interpretum ad vnum omnium *Adamum* primum hominem intelligunt, de quo solo tantum

tum